



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema IV. Fuerintne Nobiles, qui ab adeunda Cœna se excusarunt?
Dominica II. Post Pentecosten. Cœperunt simul omnes excusare Luc. 14.
v. 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA IV.

Fuerintne Nobiles, qui ab adeunda Cœna se excusarunt?

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Cœperunt simul omnes excusare

Luc. 14. v. 18.

S. I.
Excusato-
res terni
significant,
ambitio-
sis, avaros,
molles,



Vi cœnam magnam instruxit, nec Rex nec Pater familias nec Dominus appellatur, sed homo quidam: *homo quidam fecit cœnam magnam.* è contra alius, qui nuptias fecit, Filio suo, & prandium adornavit, Regis honoratur titulo: *simile est regnum cœlorum homini Regi* Matth. 22. v. 4. quia videlicet magnificentior fuit cœna modimperatoris hodierni, quàm prandium alterum Regis, cœna namque magna dicitur, prandium verò simpliciter prandium appellatur. unde quia Amor liberalior est, quàm Majestas, idcirco regio superfedetur nomine, & humanitatis duntaxat titulus præfertur: *homo quidam fecit cœnam magnam.* ad quam invitati primæ notæ hospites comparere detrectarunt, frivolis ad sese exculpandos usi ratiunculis, quas à villa vel bobus, vel quod turpius est, ab uxoria servitute emutuârunt: *villam, ait primus, emi & necesse habeo exire & videre illam.* Stultus iste mercator fuit, qui prius villam emit, quàm videret, ad eamque videndam vespertino tempore expatiatur; quia ambitiosi, ut vult Augustinus, per-

sonam refert; ambitioso autem semper nox est, à tenebris incipit, & in tenebris perseverat, omnis namque ambitio cæca est, & excæcat. *In villa emta*, ait Sanctus Augustinus serm. 33. de verbis Domini, *Dominatio notatur, ergo superbia castigatur.* Alter Evclionem expresfisse videtur qui suis sibi expensis emit juga boum quinque. omnis enim avarus laborem & dolorem sibi coacervat, seque pecuniæ devovet in mancipium. decuerat pecuniam exponere, ut jugum à se excuteret, ut videmus jumenta excutere, ubi possunt; at hem Evclionem! auro suo multiplex sibi comparat jugum, comparatus idcirco jumentis insipientibus, imò deterior factus iisdem. Audiatur Censura Divi Bernardi in declamat. *an verò comparatum jumentis esse quis dubitet hominem, qui sibi juga emerit jumentorum? nisi quòd eò ipsis sanè quoque jumentis convincitur stolidior, & bestialior bestiis comprobatur, quòd juga necessitatis earum propriâ ipse subeat voluntate.* Absurdissimè tertius, non juga quinque sed quinquaginta & quinquagies millena in uno conjugio præterdit, ideòque non comparandi necessitatem ex necessitudine

dine uxoria fatetur: *Et ideo non possum venire.* Audis? Cyrillum interpretem audio lib. 4. de adorat. audis? non possum. Etenim humanus animus ad mundi Voluptates propensus, infirmus est, & invalidus ad ea exequenda, quæ DEi sunt. Cuperem scire totâ mentis curiositate, utrum terni isti excusatores nobiles fuerint, an ignobiles, qui frivolis de causis à magna se subducere cœna præsumferunt. ignobilissimos fuisse probabile est, sed videamus.

§. 2.
Etsi nobili genere potuerint esse prognati, ignobiles tamen moribus fuerunt.

Quæ pro nobilitate eorum militant argumenta, sunt villa & in villa jugales boves, & boum jugalium domina conjux: *uxorem duxi*, ait hic ultimus, semel uxorem duxit, semper ducitur ab uxore *sicut bos ad victimam.* qui sunt qui uxores ducunt, nisi qui ducunt in bonis dies suos, & quæ sunt uxores, quæ manu duci volunt, & dum ducuntur, seducunt animos, nisi nobiles heræ? quibus inserviendum plus quàm idolis, in earumque gratiam necessario DEUS & divina omnia proculcanda sunt. Nec dubitandum de eo, qui villam emit, quin fuerit nobilis, in villa enim emta, ut dicere me ex Augustino memini, Dominatio notatur; fuerit proinde nobilis de nova vel antiqua aut nescio qua alia villa; qui verò emta quinque boum juga probatum ivit, plusquàm villicum se exhibet, cum fidem villici sui pergat exploratum. Demus proinde triadem istam invitatorum fuisse genere nobilem, genio tamen nimis quàm ignobilem se exhibuisse, imò in mancipiorum sortem degenerasse, omnique nobilitatis excidisse privilegio, inde manifestè evincitur, quòd nobilissimam cœnam adire recusarint, quam videlicet soli concupiscunt nobiles, qui verò accedere renuunt, plusquam ignobiles redduntur

juxtâ divinum illud oraculum, quod ex cœnali tripode exauditur: *qui contemnunt me erunt ignobiles.* Ignobilis est, quisquis Eucharisticam contemnit cœnam, nobilissimus verò qui invitanti paret modimperiatori, & neglectis villis, excussis jugis, contemtis femineis illecebris cœnatum pergit, imò volat. Volat inquam, quia cœna hæc alites invenit aut facit, alas indit, vel addit, quibus ad cœnale corpus advolent juxtâ id æternæ Veritatis oraculum: *ubi fuerit corpus*, corpus inquam illud, de quo Sacerdos in persona Hominis DEi asseverat: *hoc est enim corpus meum, ibi congregabuntur* *Et aquilæ*, nobiles videlicet animæ alites Imperiales.

Aptissimè Divus Ambrosius ad convivas Eucharisticos dixit: *Bona aquilæ circa altare, ubi enim corpus, ibi Et aquilæ. Forma corporis altare est, Et corpus Christi est in altari, aquilæ vos estis.* nobilis esca non nisi nobiles admittit convivas. Si aquilarum figura nobilitatis imago est, dubitari vix potest nobiles esse eos, qui non ut Jupiter in fabulis, sed ut Christus in parabolis asseruit, toti in aquilas abiêre. ubi corpus ibi aquilæ. Hæ sunt volucres, inquit de Eucharisticis convivis Anastasius Sinaita, quæ rapiuntur in nubibus obviam Christo de quibus etiam dicebat: ubi est corpus, congregabuntur & aquilæ, quæ supplantatorem nostrum serpentem suffocârunt, perpetuum cum serpentibus bellum est aquilis, continua quoque pugna contra tartareos angves intercedit iis, qui nobiles à corpore Dominico spiritus hauriunt, ideòque stygios odere serpentes, quia horum calliditate seducti protoparentes primævam perdidit nobilitatem, atque ad rusticana opera & comedendum in sudore vultus panem sunt damnati. Esca vetita

1. Reg. 2.
v. 30.

Matth. 24.

§. 3.
Ex aquilarum similitudine probatur nobilitas Eucharisticorum convivarum.
S. Ambrosius lib. 4. de sacram. c. 2.

S. Anastasius lib. 7. in hexam.

in rusticos nos primitus commutavit, esca coelica vicissim in nobiles nos alites transformat. Siquid in animo serpentini genii, rustici inquam ingenii forte residet, coelestis virtute convivii quantocyus tollitur, efficitque ut aquilinæ nobis succrescant alæ, quibus Christo obviam in aëra rapiamur. Huc Divus Paulinus respexit, cum scripsit: *cum hoc pane saginamur, serpens tabescit, cujus fames & pœna est cibus vitæ nostræ Christus JESUS, qui factus est nobis in escam.* Mulieri Apoclypticæ datas fuisse aquilinas alas legimus, ut septicipitis draconis ritum effugeret, securaque in desertum avolaret; non alæ tantum animabus fidelibus per mulierem parturientem significatis conferuntur, sed totæ in aquilas commutantur, quoties ad desertum, hoc est, cibum Eucharisticum (hic enim ob annullatam panis substantiam deferti nomine potest nuncupari) convolant, ut septem peccata capitalia, velut septem tartarei draconis capita evadant, Quin & peccare neficios Angelos apud Eucharisticam cœnam deprehendo alatos, nec alatos simpliciter, sed sex omnino alis instructos, sive ut eò velocius ad corpus Eucharisticum adsint, seu ut excelsiorem suam præ ceteris nobilitatem ex alarum numero declarent. *O miraculè!* exclamat Chrysostomus *ad mensam magnificè instructā, in qua agnus DEI pro te mactatur, assistunt Cherubini, descendunt Seraphini senis præditi alis.* non putant suam se mortalibus sufficienter probare nobilitatem nobilissimi Spiritus, nisi Sacrosanctæ Eucharistiæ assistant, ad eamque velut aquilæ ad corpus congregentur. Aquilæ ergo sunt & nobiles omnes, qui ad cœnam Eucharisticam congregantur; quo verò eos nomine compellabo, qui cum hodiernis excusa-

toribus recusant venire? canes sunt, & qui canibus nonnunquam deterius habentur, ignobiles servi sunt. Micam è mensa Eucharistica Samaritana postulavit mulier, sed promica *corbem* ut dicimus tulit, repulsam passa à Christo: *non est bonum panem filiorum mittere canibus.* audisne? panem Filiorum dici Eucharistiam, quam qui sumere renuunt, non sunt filii, sed villici ut hodiernus ille excusator villam prætendens: *villam emi;* non sunt hæredes, sed mancipia jugis boum alligata: *juga boum emi;* non sunt liberi sed herarum nutibus alligati: *uxorem duxi non possum venire;* verbo, non aquilæ sunt, sed canes digni catenis, & ad famem præsciti æternam; juxta Psaltes vaticinium: *famem patientur ut canes.* Appositè Divus Athanasius in ejusmodi canes: *Occisa est hæc hostia propter te, & tu deseris illam ipsam immolatam aspiciens: ubi cada-ver, inquit, ibi & aquilæ; sed ut canes accedimus, tanta nostra est impudentia.* imò quia non accedimus, canum in numero habemur, qui per divinissimi corporis esum in numero poteramus esse filiorum.

Filiorum cum memini, prodigus ille occurrit filius, paternæ deceptor substantiæ, conviva factus porcorum, qui siliquarum jam satur, imò nec de siliquis saturare la-trantem stomachum ausus, sancta vitæ melioris consilia inuit, itaque secum statuit: *Surgam,* jacebat, enim in cœno vitiorum, *& ibo ad patrem meum,* quia sub principe erat porcorum, ait Sanctus Augustinus & dicam ei *pater peccavi in cœlum.* cœlum appellavit ipsam sublimitatem Patris, inquit iterum Augustinus, & coram te ubique præsentem & inspectantem: *ostendit scriptura* (ait Chrysostomus) *hunc patrem, non hominem intelligi debere, sed DEUM,*

S. Paulino
ep. 9.

Apoc. 12.
v. 14.

S. Chryso-
stomus
hom. de
Sacra
mensa.

Matth. 15.
v. 26.

Psal. 58.
v. 7.

S. Athana-
sius orat.
in parasq.

§. 4.
Filio pro-
digus ad
paternam
domum
receptus
dedigna-
tur esse
mercena-
rius.

Luc. 15.
v. 18.

S. August.
lib. 2.
quæst.
Evang. c.
33.

S. Chryso-
stomus
homil. 4.
in Luc.

DEUS enim est inspector omnium solus, à quo neque in corde meditata peccata abscondi possunt: *Jam non sum dignus vocari filius tuus*, quia servus esse malui idolorum (inquit Sanctus Hieronymus ep. 146.) *fac me sicut unum de mercenariis tuis*. ego perdidici quod erat filii ait Sanctus Chrysologus serm. 2. filii conditione indignum se prodigus agnoscit, quia ab excelsis cogitationibus degeneraverat, de coena coelesti ad coenum scelestum, de ara sacrosancta ad profanissimam haram transgressus. at verò ubi in se regressus, domum paternam repetiit, inque paternos ruit amplexus, non petit fieri mercenarius, sed omissò tertio praemeditatae orationis membro, prima duo duntaxat profert: *Pater peccavi in caelum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus*. ubi manet, & cur emanet tertium? *fac me sicut unum de mercenariis tuis*. an exciderat memoriã, quod toto itinere toties repetendo tenacissimè sibi impresserat? mercenarius fieri non postulat, quia cum Patris acciperet osculum, subodoratus mox est coeleste convivium, quod ei à Patre ordinabatur. praevidens itaque sese sublimandum esse ad mensam filiorum, servilis mercenariorum status mente excidit. Eucharisticus enim panis non mercenariorum, sed filiorum, sed principum, sed Regum est. Dederat pius Pater poenitenti filio dulce pacis osculum, ut os illud honoraret, per quod emissã de corde confessio poenitentis exierat ut censeret Chrysostomus homil. 4. in Lucam, vel ut os illud praepararetur, per quod Eucharistiae typus ingredi debebat, *Christus enim est vitulus saginatus* (inquit Beda in glossa interlin.) *omni spiritali virtute optimus, ut pro totius mundi salute sufficiat*; & Chrysostomus hom. de du-

obus filiis: *Christus vitulus dicitur, ob immolati corporis hostiam, saginatus, quia pro totius mundi salute sufficit*. Nec contentus osculum dedisse, addidit & stolam primam omnium pretiosissimam, quae est purificatio, ait Euthymius, vestis Spiritus Sancti, ut habet glossa interlin. vel ut Divus Asterius in cat. graeca: prima stola est gratia DEI, quam in baptismo singuli accipiunt; stolae addidit anulum, anulum videlicet honoris, qui esset titulus libertatis (verba Chrysologi serm. 5.) inigne pignus spiritus, signaculum fidei: vel ut habet Sanctus Augustinus cit. anulus in manu pignus est Spiritus Sancti propter gratiae participationem, quae digito bene significatur. Sic itaque exornatus filius dedignatur gregi mercenariorum accenferi, quos bellè noverat ad mensam paternam non admitti.

Prodigo filio jungamus Zachaeum, non quidem pecuniarum prodigum, sed prodigum avaritiae, charybdiin scelerum, principem publicanorum. *Zachaeus nulla nobilitatis ingenita dignitate sublimis*, ut loquitur Divus Ambrosius lib. 8. in Lucam, vocanti Christo obtemperans domum illi suam cefferat in templum, mensam in altare, convivium in Eucharistiae Symbolum. Et ecce uberem mox hospitii sui accipit mercedem, titulum videlicet nobilitatis, *eo quod & ipse Filius sit Abrahæ* Luc. 19. v. 9. Filium Abrahæ esse, est nobilem esse, prout ex gloriantium judæorum ore audivimus: *Filii Abrahæ sumus, nemini servivimus unquam* Joann. 8. v. 33. in numerum Abrahamidarum adlegitur publicanus, quia Eucharistiae umbram in convivio Salvatori exhibito attingit, quanto magis Abrahæ filii, nobiles inquam sunt, qui in cordis sui hospitium Salvatorem excipiunt, cumque eodem dulciter epu-

S. 5.
Zachaeus
recepto
Christo
nobilitatur.

epulantur. fit Zachæus (Chryso-
stomi est hæc oratio homil. de Za-
chæo) *Abrahæ filius meritò, non so-
bole, devotione, non stirpe.* in quam
familiam omnes adleguntur, qui
vocati ad cœnam cum Zachæo JE-
sum excipiunt gaudentes.

§. 6.
Eadē do-
ctrina aliis
4. figuris
confirma-
tur.

Qui corpus demortui Salvato-
ris de cruce exceperê, inque monu-
mentum novum intulerunt, non
servi, non rustici, sed nobiles fuêre
& principes Joseph *nobilis decurio*
Matth. 27. Nicodemus princeps
Judæorum, *Magister in Israël* Joan.
3. quisquis enim Christum excipit,
nobilitatis accipit in signum.

Sacrificium in monte Moria
oblaturus Abrahamus, servos &
Asinos inde excludit: dixit ad pu-
eros suos: *expectate hic cum asino,*
ego & puer illuc usque properantes,
postquam adoraverimus, revertemur
ad vos. Gen. 22. v. 5. cur servi sa-
crificio exesse jubentur, solique
Pater & Filius holocaustum appa-
rant? quia in hoc sacrificio cœna
Eucharistica præfiguratur, uti in so-
lemni hymno agnoscit Ecclesia: *in fi-
guris præsignatur, cum Isaac immola-
tur,* ab hac autem excluduntur viri
ignobiles, nec nisi admittuntur
principes, aut si prius fuerunt igno-
biles, admissi ad hanc mensam no-
bilitantur.

Joan. 15.
v. 15.

Participarant ab hoc facerrimo
convivio & conviviali sacrificio A-
postoli, quibus mox Christus: *jam*
non dicam vos servos quibus verbis
discipulos suos Magister rude do-
nat, & servulos suos Dominus su-
premus emancipat, atque ex servo-
rum conditione in Amicorum trans-
fert dignitatem, imò in Principum
elevat celsitudinem: quia *omnia*
nota feci vobis, Eucharistiam videli-
cet iisdem administrando. Qui
ergò cœnam adit Eucharisticam,
non jam servus, sed amicus, non

ignobilis, sed princeps, non verna,
sed filius est.

*Sicut liliū inter spinas, sic ami-
ca mea inter filias* Cant. 2. v. 2. per
spinas servi, per filias accipiuntur
amici, & sunt iidem filii ac filia, qui
prius erant spinæ, virtute enim Do-
minicæ carnis ac sanguinis regene-
rantur in filios, & cœlestis paradisi
hæredes constituuntur. Placeat
interpret verborum Augustinus sic
in persona sponsi locutus: *quas di-
cis spinas, ipsas filias respondes; spinæ*
sunt propter mores suos, filia propter
sacramenta mea. Nemo jam mihi
objiciat pauperes, cœcos, claudos de
trivio ad cœnam Evangelicam vo-
catos, adeoque ignobile vulgus fu-
isse; postquam enim vocantian-
nuerunt, seque stiterunt ad cœnam,
nec pauperes amplius, nec ignobi-
les, sed divites & principes evasere.
Verum quia hac super veritate fusi-
us alibi à me actum est (Dominic.
ante Epiphani. Conc. Aulicâ) rur-
sumque dicendi locus erit, abrum-
po dictionem, & verbis Ignatii
Martyris ep. ad Eph. concludo: *Fe-
stinatè ergò frequenter accedere ad*
Eucharistiam & gloriam DEI.

S. Augu-
stinus in
Psal. 99.

O nobiles, ut verè nobiles sitis,
ò ignobiles, ut germanam affequa-
mini nobilitatem, ad corpus Domi-
nicum ut aquilæ, ut Cherubini ad-
volate, ad panem filiorum cum filio
prodigo aspirate, in hospitium cor-
dis vestri Jesum exemplo Zachæi
admittite, servitutis probrum cum
Apostolis ad hanc cœnam exuite, &
cum nobilitate decorem, cum gra-
tia induite gloriam; nec sit unus o-
mnium, qui ignobile illud verbum
repetat: *non possum venire,* quin
potius dicant omnes, dicant singu-
li, possum, possum, possum venire!
ecce venio! ecce adsum!

§. 7.
Brevicula
ad Nobiles
parancensis.
& Emble-
ma.

In Emblema undecim Regales
Aquilas ad Corpus Dominicum con-

con-

congregatas effugio, quæ aquilam duodecimam (Judam intellige) tanquam degenerem & spuriam ab hac Mensa abigunt, ceterasque volucres ignavas procularcent: *degeneres procul estis aves.* Ex aperto Corporis Dominici latere sacrae Hostiæ profluunt, Aquilarum cui-libet in escam, quibus inscribitur: *Cibus sum Grandium.* Ad alterum mensæ latus Genium Regni Catholici colloco, qui pro suis Hispanis loquens Panem Eucharisticum indigitat: *hispanis* videlicet Hispanis. ad latus alterum Archiducalis Do-

mus Genium compono, qui de eodem divinissimo Pane seu *Eucharistia* vetus illud Anagramma refert: *Hic Austria.* Congregemur & nos ad Corpus Dominicum, si regales Aquilæ sumus; manducemus ex hoc Pane, si fieri *Grandes & Domini ab Austro* (ita Salvatorem vocat Habacuc) esse cupimus commensales.

••••••••••••••••••••
••••••••••••••••••••
••••••••••••••••••••
••••••••••••••••••••



PROBLEMA V.

Cur Ovis Centesima tanti fiat, quanti nonaginta novem?

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat.

LUC. 15, v. 4.

§. I.
Quæstio-
nis diffi-
cultas per
similitudi-
nes expo-
nitur.



Ad humanæ prudentiæ trutinam factum parabolici Pastoris expendere velimus, plus illum violenti affectus, quam fani intellectus habuisse deprehendemus, quod desertis nonaginta novem ovibus Centesimam inquisiturus abierit, non absque gravi periculo, nè in Pastoris absentia grex totus aut prædonibus in spoliis, aut lupis in victimam immolandus dissi-

paretur. Quis enim prudens institor nonaginta novem aureos relinquit in propatulo, ut centesimum, quem nescio ubi deperdidit, inquirat? quis sapiens belli Imperator in unius cohortis, imò gregarii militis gratiam exercitum universum destituit, furorique hostium cedit in lanienam? quis dynasta centum oppidorum Dominus, ad retinendum ex omnibus unicum cetera deperdere non curat? quin potius ut cetera fervet, oppidulum postremum non curat deperdere. mira